dare pacem impio uiro qui turbauerat. Hec ciuitates et prouincias uenientes precepta omnes ad interitum iudeorum constituta diem parabant. Quod etiam susis preparabatur. Rex igitur et aman epulationibus uacabant; ciuitas uero turbabatur. Quod mardocheus cognoscens uestem rupit et sacco indutus cinereque perfusus ciuitatem circuibat clamans interimi gentem que nihil peccauit. Et hoc dicens ad aulam peruenit et ante ipsam stetit. Nam minime licebat ingredi tali circumamictu habitu. Idem etiam omnes fecerunt iudei per ciuitates quibus de hoc littere ponebantur; lugentes et plangentes nunciatas sibi calamitates. Cum uero quidam regine nunciasset Mardocheum in tam misero ante aulam habitu stantem, audito sermone turbata misit qui ei uestimenta mutarent. Quo nolente saccum exui, quia nondum erat malum finitum propter quod saccum induerat, uocans assistentem eunuchum acrathium ad mardocheum destinauit, interrogans quid ei triste contigisset, quod hunc habitum nec ea petente deponeret. Tunc mardocheus indicauit eunucho causam et litteras contra iudeos per omnes prouincias sub rege constitutas transmissas, et promissionem pecuniarum per quam a rege perditionem gentis comparauerat aman. Harum etiam exemplum ad hester reportandum dedit que proposite in susis fuerant, mandans ei quatinus de his regi supplicaret, nec recusaret pro salute gentis habitum humiliorem accipere, per quem regi ostenderet iudeis periculum imminere. Aman inquit qui secundum honorem post regem optinet accusando iudeos regem aduersus eos incendit. Hec cum regina cognouisset, rursus mittit ad mardocheum dicens quod non esset a rege uocata, et siquis ad eum non uocatus intraret moritur, nisi uolens seruare quendam porrexerit ei uirgam auream. Nam inuocato et ad eum intranti si hoc rex fecerit, hic solus non interimitur, sed ueniam accipiens liberatur. Mardocheus uero hec uerba deportante sibi ad hester eunucho renunciare precepit non sue salutis prouideret, sed totius gentis periculum amoueret. Nam si nunc ipsa inquit contempserit, adiutorium quidem genti deum omnibus modis futurum; ipsam uero et patriam eius domum ab illis quos contempserat perituram. Hester autem denunciauit mardocheo per eundem ministrum ut pergens ad susis constitutos illic iudeos ad contionem congregaret, et ieiunare cunctos

triduo pro ipsa precepit. Quod et ipsa cum suis agens ancillis promisit se preter legem adire regem, et si moriri oporteret non recusare. Mardocheus autem secundum hester mandata ipsum fecit ieiunare, deumque supplex petens ut nec eam nec gentem eius perituram contempneret; sed ut sepius ante prouidit et peccantibus ueniam concessit, et nunc a denunciato ductum interitu liberaret. Non enim propter aliquod peccatum ita cogebatur sine gloria decipi, cum et ipse deus nosset causam furoris aman, quod eum non salutabat. Neque enim inquit honorem quem tibi offerebam domine huic illi quoque patiebar offerre; ideoque iratus contra eos qui tuas leges non transgrediuntur talia machinatus est. Easdem etiam uoces uulgus emittebat, petens deum sue prouideret saluti, cunctosque israelitas per omnem liberare terram a futura calamitate. Nam iam pre oculis eam sperabant et simul habebant. Rogabat etiam hester deum patria se lege prosternens in terram, lugubrique ueste circumamicta. Cibum autem et potum omniaque suauia renuebat per tres dies, deum petens ut adiuuaret eam quatinus regi uideretur supplicans suauis eloquio, species uero pulcherrima, ut ex utroque sustentata et ipsa periculum euitaret et genti sue salutem acquireret; aman quoque regis odium concitaret. Sic deum per tres dies deprecans lugubrem deposuit uestem, et habitu mutato ornata sicut oportebat reginam ibat cum duabus ancillis, quarum una leuiter eam incumbentem sustentabat, altera sequens longitudinem uestis usque ad terram perfusam summis eam digitis deportabat. Que ita facie rubore plena uerecundiam ac modestiam habens decorem adibat regem etiam cum timore. Cum uero ad faciem eius sedentis in solio deuenisset et uidisset eum circumdatum ornatu qui ex uaria ueste uel auro ac lapidibus preciosis ualde fulgebat, terribiliorque magis eum propter hec intuens, cumque et ille asperius eam uultuque irato respiceret, membrorum eam debilitas comprehendit, et super ancillas que propter latera eius erant repente collapsa est. Rex autem uoluntate arbitror dei mentem mutauit, et timens ne quid mali uxor eius timore pateretur surrexit a sella suoque eam gremio colligens fouebat et osculabatur blandeque loquebatur confidere eam petens, nec aliquid mali metueret quod ad eum non uocata uenisset; nam legem istam propter subiectos esse positam; ipsam autem similiter cum eo regnantem

Mardocheus

Oratio mardochei

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 9377, 95r – Flavius Iosephus, Antiquitates judaicae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-e88q/2685/41866)